



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Schildi[i] De Caucis

Schild, Johannes

Lvgd. Batav., 1649

Cap. VII. De Coloniis Caucorum. Causae, quae nostros ad deducendas
impulêre. Populi frequentia. Metus ab Oceani barbarie. Negata regioni
foecunditas. Victoris arbitrium. Tempora deductarum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13007

rodens infidum marginem, Frisiorum, Caninesatum, Cauchorum. Ac, quòd tyranno colla subderet Oceano, Frisia legitur in septem divisa Zeelandias. Oceani verò tyrannidē cum Iada promovet Amasus, & cum Albi Visurgis, vagi & expanditores amnes, identidem recusantes amare alveos suos, ac fluminum servare modum.

C A P. VII.

De Coloniis Caucorum. *Causse*, quæ nostros ad deducendas impulere. Populi frequentia. Metus ab Oceani barbarie. Negata regioni fœcunditas. Victoris arbitrium. Tempora deductarum dividuntur in ea, quæ purum spectavere Caucum, & quæ mixtum. Tiberius, inter Germaniæ dedititios, in Galliam Caucos trajecit. *Causse* trajectionis. In Hispania Cauci. Lubenter in nova sedium gentis suæ nomen emissi transfundunt. In Hibernia Cauci. Mixtus cetero Franco Caucus irrupit in Romana. Sed absque Caucii nominis interitu. Francum nomen plurimæ trans Rhenum adoptavere nationes. Id, unà cum federe, servituti reperiunt averruncanda, Romanique artibus oppositum & armis. In Gallia Franci. Populorum vices. Permixtus Saxoni Caucus in Britanniam ivit, adscitus ab incolâ contra Picti violentiam Scotique. Gravis ei, quin & hostis, à quo fuerat adscitus. Hinc, ad incitas indigena redactò. Britannia Transmarina Saxonia. Cum Longobardo terruit Italiam Saxo. Flandriam, Brabantiam, Franciam colere jussus à Magno Carolo.

Coloniarum plures quidem possunt excogitari causæ deductarum: sed in his quatuor insignes eminent atque præcipuæ, quæ
ad

ad abelegandum aliò. fœtus suos aut coëgere
 Caucos, aut excitavêre. Prima est augescens
 in immensum, soliq; natalis objurgans angu-
 stiam soboles; unde Tacitus: *tam immensum*
terrarum spatium non tenent tantùm Chauçi, sed &
implent. Et Vellejus lib. II. *juventus Chaucorum*
numero infinita. Alteram Chaucidi migrandi
 necessitatem maritima regionis imposuerunt,
 aut operta fluctibus, aut operiunda. De quo
 Plinium excussimus, in præcedente capite, rhe-
 toricantem. Videnti verò, plurimam sui partẽ
 grassatori obnoxiam Neptuno, cùm continuæ
 molis objiciendæ remedium ignoraret, nihil
 ferè supererat aliud, quàm ut fœcundæ juven-
 tutis exoneratura sese portione, disjunctis in
 regionibus aliam atq; aliam identidẽ profemi-
 nare Chaucidem tentaret. Quæ & princeps mi-
 grandi ratio Cimbris existit, haud longo no-
 stros relinquentibus intervallo, ac similem ex-
 perientibus avari tyrannidem elementi. Erant
 enim, referente Strabone, l. VII. qui dissita ter-
 rarum natalibus antetulisse Cimbros crederent,
 ὅτι χερρόνησον οἰκῆντες, μεγάλη πλημμυρίδι ἐξεληθεῖεν ἐκ
 τῆς πώπων, quòd è peninsula, quàm inhabitabant, di-
 luvio fuissent ejecti. Tertia caussa, quæ mutare
 sedes perpulerit, esto terra nimix damnata ste-
 rilitatis, de qua binis ante euntibus satis su-
 pèrque dictum capitibus est. Hæc quondam
 in

in univēsum Germanos domiciliis suis exegit, cū oræ pœniteret eos propriæ, contrâque fertilis alius, atque in majus laudatæ, fama corrumperet. Quod Histor. i v. comprobât oratio Cerialis, ad Treveros habita Lingonâsque: *Eadem semper caussa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque avaritia, & mutandæ sedis amor, ut relictis paludibus & solitudinibus suis, fecundissimum hoc solum, vósque ipsos possiderent.* Quartam ad victoris arbitrium refero metūque. De caussis quidem ista. Ceterum, in priscorum exeunti memorias actorum, in quantum prospicere Cauorum licuit è longinquo colonias, bipartitò videntur eæ dirimi discriminarique posse. Nam alias quidem emiserè, cū adhuc proprius, & sincerus, tantūque sibi similis existère populus: aliàs verò, cum Saxonibus immisti Francisque, jam non ampliùs incorruptæ retinuère gloriam sinceritatis. Puræ gentis tres agnosco transportationes. Primam recens coërcitæ, & adversus jugum nuper impositum dubia cervice contumaci, vastator imperavit Tiberius, cū, Augusto copias & suos præbente Divos, eousque Romani Reverentiam proferret imperii. *Cassiodorus in Chronico: C. Asinio Gallo & C. Marcio Censorino Coss. inter Albim & Rhenum Germani omnes Tiberio Neroni dediti.* Arcanum, quod admissa

missa dominatio victis repererat enervandis, curatè perscripsit in vita Tiberii Tranquillus: *Germanico bello quadraginta millia dedititiorum trajecit in Galliam, juxtâq; ripam Rheni sedibus assignatis collocavit. Quadringenta millia captivorum, immane quantum dissidente numero, trajecta scribit Eutropius lib. vii. Dedititiis vero istis, patrio dein cœlo mutare Gallicum jussis, disertim receptas Chaucorum nationes, & cum multa quidem admiratione ducis sui, Vellejus Paterculus interferit. Mos enim ferme rerum tyrannis erat, nuperis admodum circumventos armis, atque rebellionis inter & obsequii gloriam ancipites, pro libidine huc illuc transferre, pecudum in morem, quas pastores nunc in hybernos, nunc in æstivos trajicere saltus amant. Ita namq; franguntur acres vegetiq; populorum spiritus; & qui in suo solo quidlibet auderent, placidi quietique agunt in alieno. Alio ævo Caucus exul interpellâsse videtur Hispani pacem, inibique sedem fluctuantium fixisse fortunarum. Cauceses enim collocat in Vaccæis, citerioris Hispaniæ populo, Plinius lib. III. cap. III. *Clari in Vaccæorum xviii. civitatibus Intercatienses, Pallantini, Lacobricenses, Cauceses.* Sed & urbem eorundem Vaccæorum Caucam Ptolemæus agnoscit, lib. II. cap. vi. At ante Plinium florentem, ac Ptolemæum,*

lemæum, Germani finitorem superaverant Hispaniæ Pyrenæum. Seneca in Consolatione ad Helviam: *Græci se in Galliam immiserunt, in Græciam Galli: Pyrenæus Germanorum transitus non inhibuit: per invia, per incognita versavit se humana levitas.* Ac plerumque, qui profecti sedium quærendarum causâ fuere, si gentis suæ famam implerent atque dignationem, nomen nationis, quod domo secum attulerant, intactum ab illuvie barbarorum illibatúmque servavere. Quemadmodum Commentario quinto Cæsar prodidit de Belgis, qui, spe prædarum, ditibus inferentes arma Britannis, partem sibi postmodo telluris asseruere Britanno-
rum: *omnes ferè iis nominibus civitatum appellantur, quibus orti ex civitatibus eò pervenerunt, & bello illato ibi remanserunt, atque agros colere cœperunt.* Idem Caucis obtigit honos, aliud publicum in Hibernia sistentibus exilium. Caucos, in Hiberniæ situ, libro II. capite II. Ptolemæus edidit. Ac Menapii, quos proximos in Hibernia videre Caucos, à Belgica quoque Gallia sua non nimis absitos abscedentésque videre. Quorum gentili respondentem nomini Menapiam urbem in eodem capite Ptolemæus exhibet, sicuti Caucorum nomini dicatam memoravit in Hispania Caucam. Nota, scriptorum encomiis, ejus insulæ felicitas inopum

pum extorres orarum ad sui pellexit experimentum. Non minùs, quàm eos, qui, sex ante secula septémve, nostra fatigabant accolarùmque senticeta; quos ad se transgressos in hunc usque diem *Oestmannen* appellat Hibernus, tanquam ab oriente profectos in Hiberna sole. Tum & mare illic haudquaquam importuosum, usum insulæ promisit aperuitque tentaturis. In Agricolæ vita: *Solum cœlùmque, & ingenia cultúsque hominum haud multum à Britannia differunt. meliùs aditus portúsque per commercia & negotiatores cogniti.* Hactenus de puro Cauco. Prima mixti quòd nos non fugit emigratio, repertoribus iis debetur, qui, veritatem æmulante conjectatione, Caucos putant accolásque populariter avito decessisse solo, ac, quòd cupidine tutandæ libertatis inflammarentur, nobile Francorum nomen gentibus, annalibúsque gentium & historiis intulisse. Nam qua tempestate desiit audiri Caucasus, eadem prope Francus emerfit, ac prioris æternitatem nominis occupavit. Quamvis imperante Decio, sub quo Francorum primò nomen enotuit, neutiquam sepultum est ilicet extinctúmque Caucorum. Plusquam seculo disfidet à Decii principatu Julianus: hic tamen non nesciit arma noménque Caucorum, ut Zosimus, in rebus ad Rhenum ab eo gestis, demon-

demonstrat : interstitium non contemnendum à Juliano Theodosium separat : hoc tamen summæ rerum imposito, adhuc Claudianus, in primo de laudibus Stiliconis, cecinit *indignantem Caycum*, qui non alius est à Cauco. Consumsit tamen ejus, ac conterminorum, populares appellationes adscita Francici dignitas atque magnitudo nominis. Discimus enim ex Ammiano, Mamertino, Eutropio, Amasum inter & Albin objectos Oceano Francos, è littore suo formidandos hostium navigationibus exstitisse piratas. Jam tum igitur Francorum nomen in nostris caput efferre cœperat oris. In vetusta tabula itineraria hæc nomina leguntur: *Chauci, Ampsivarii, Cherusci, Chamavi, qui & Franci*. Sequiturque dehinc ipsa regio, majori signata caractere, FRANCIA. Talem enim verbis iis, fœde corruptis prius atque luxatis, medicinam fecit nobilissimus Philippus Cluverius, Majoris Chaucidis, cui domus suæ vetustissimas imputat imagines, ingens æternūque superatura gloria. Idem, qui Germaniæ Antiquæ lib. III. non modò non improbandam hanc, sed profectò, admittendam etiam, tuetur ac propugnat opinionem, quâ plerique populorum, qui, mare versus, Rheno claudebantur & Albi, carpi se singulos ab hostibus indignati, in unius corporis vali-

vali-

validam conspirâsse societatem feruntur, ac splendidum in speciem magnificumque Francorum vocabulum gentilibus suis atque privis unanimiter antetulisse. Enimvero Cauci, Bructeri, Chamavi, Ampsivarii, Cherusci, Chatti, Tencteri, Salii, Frisi, Dulgibini, Chassuarii, Angrivarii, cum fortia hactenus agere patique didicissent, tandem intellecto, dominatricem Romam in turbido stultoque suarum piscari discordiarum, gentis periculo nationum condonandas existimavere simultates. Admoniti damnis, & innumeris expegefacti cladibus, à stirpe revellendam infortunii sui decrevere radicem. Artes suas, quibus hactenus grassantem tulerant Romanum, eidem, fatali regnaturientium civium ambitioni sanguinem commodanti, remisere. Propterea viribus animisque fidenter adunatis, unum quoddam gentis imperiique corpus effecere: cujus sese omnia atque singula membra *thi Francken* appellavere, quasi tu *liberos* dixeris, ac depositæ libertatis instauratores: sicuti deinceps portio Francorum Frisii, quorum pars in Chaucidis venere partem, idem liberrimi status epitheton affectavere. *Germanos ultteriores* indigitat Orosius, in representatione difficultatum, cum queis Gallieni tempora conflictabantur; *Germani*, inquit, *ultteriores abraſa potiti sunt*

D

sunt

sunt Hispania. Sed disertim, in eorundem tristitia temporum tangenda, Francos vocat Aurelius Victor. Erat autem imperium, principem ut-
 cunque locum implente Gallieno, inter triginta lancinatum fœdissime discerptumque procos. Proin, versa rerum vice, suorum cervicibus in-
 hæserè vastatorum, ac nutantia rei Romanæ fata proclinavêre. Unde totiens in Francorum
 dicendis incursionibus, atrocitate, crudelitate, piratica, attolluntur intumescuntque Panegy-
 ricorum orationes. Ceterum, uti meliores Ro-
 mani orbis certaminibus ac victoriis lustravêre
 ditiones, ita spargendarum per attonita terra-
 rum haudquaquam obliti fuêre coloniarum.
 Iterum Quiriti suum regerentes arcanum, de
 quo Seneca in Consolatione ad Helviam: *Vbi-
 cunque vicit Romanus, habitat.* Sed complures in-
 ter provincias, Romano regnatas aut barbaro,
 Gallici imprimis soli felicitas intrudentem sibi
 furculos suos admirata Francum fuit. Cujus
 hodieque portio, regis liligeri clara domicilio,
 Francisque pro Bellovacis infessa Parisiisque,
 ab infessoribus accepta superbit appellatione:
 quæ sensim appellatio, prout deterit atque con-
 sumit humiliora nomina latè dominabundum,
 totam complexa est ambitu suo Celticam &
 Aquitanicam Galliam. Ecce verò iterum, qui
 rebus cunctis inest, velut orbem quendam, ut,
 quem-

quemadmodum temporum vices, ita gentium vertantur atque nationum. Cauci abeuntis, ac vicinorum, aut, si malis ita, Franci plurimus invaserat arva Saxo. Cupidinem illi deinceps, urgentibus fatis, ingesta clade domitor Francus exprobravit. Marcellinus Comes in Chronico ad A. DLIII. *Hlotarius Francorum rex Saxones rebellantes juxta VViseram fluvium magna cæde domuit.* Alium orbem vide. Franci, qui Romanam prius ad parva magnitudinem redegerant, iidem Longobardorum irruptionibus exspiraturam focillavere. Ioannes Bicla-riensis, ad annum v. Mauriti: *Romani per Francorum adiutorium Longobardos vastant, & provincia Italiae partem in suam redigunt potestatem.* Ne quid de Carolo, fatiscientis imperii destina, dicam. Atque hæc de migratione, quâ deseruit avita littora Caucus, in Franci corpus coalescens & appellationem. Ævo labente successere coloniæ, quas idem ex se fudit immittus Saxoni Caucus. In Claudiani quidem Pannegyri secunda, Stiliconis dedicata laudibus, amictu cœrulo Oceani æstum mentita Britan-
nia,

*Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Munivit Stilico, totam quum Scotus Iberniam
Movit, & infesto spumavit remige Tethys.
Illius effectum curis, ne bella timerem*

*Scotica, ne Pictum tremere, ne littore toto
Prospicerem dubiis venturum Saxona ventis.*

At ei securitati, quam Stilico poterat imputare
Britannis, breves fata dederunt annos. Mox
enim graviore, quàm unquam antea, concussi
fortuna, Saxona, quem juxta cum Picto Sco-
tòque tremuerant, ad accelerandas interituræ
genti suppetias exstimulavêre. Verba legato-
rum: *Sub Romanorum hæcenus clientela ac tutela
liberaliter viximus: post Romanos vobis meliores
ignoramus: ideò sub vestra virtutis alas fugere qua-
rimus. Vestra virtute, vestris armis, hostibus tandem
superiores inveniamur, & quidquid imponitis servi-
tii, libenter sustinemus.* Non illi surdas Saxonum
aures adstrepuêre. Decreta contra Britannorum
hostes expeditio. Trajectus, ad annum ccccxxx.
in insulam miles. Tribus longis navibus adve-
ctum testatur in quarto decimo Paullus Dia-
conus. Eas Bremæ adornatas aliqui, nescio
quo Phœbo duce, prodidêre. Liquidior est
adsciti injuria Saxonis. A verruncato vastatore
Picto, soli deliciis, & ignaviâ pellectus inco-
larum, denique frequentiam suam, indies af-
fluente populari, contemplatus, in ipsos illau-
data direxit arma Britannos. *Residui Britanno-
rum, inquit Diaconus, cum amicali societate ex-
ceptos, versa in contrarium vice, hostes pro adjuto-
ribus, impugnatoreisque sensêre.* Itaque clades
hospi-

hospitum Saxo, multam fixit atque fundavit in Britannia Saxoniam. Unde Moguntinus Bonifacius, in epistola ad Zachariam Papam, pro Britannia *Transmarinam Saxoniam* usurpavit. Alia quoque secula transportatum in diversa terrarum Saxonem videre Longobardo sociatus, postquam diu terrorem, & cædes, & incendia circumtulisset, deposuit in Italiæ parte vastatricium partem copiarum, uti colligere licet è primo Witechindi libro. Carolus deinde Magnus, assiduò turbidum expertus, nativo aëre modò Francicum, modò Flandricum, modò Brabanticum mutare debellator jussit, ut alienigenarum consuetudine domitus, admitteret aliquantò promptiùs, quæ inter suos per abruptam contumaciam repellebat. Sed increpetur excursurus in citeriora tempora stylus.

CAP. VIII.

De habitationibus Caucorum. *Nesciit urbium claustra sibi fidere docta Germania. Civitas pro corpore pagorum. Civitates Transhenana. Parochia pro diacesi. Pagus uti portio civitatis, ita pagi vicus. Dii regionis in pagos diribitio Teutonibus adamata. Vadamarii, Alfacensis, VVormatiensis, Chattuariorum, Chamavorum, Holsatia, Emisgoe, VVestfalia, Angeria, pagi. Prasulis Adalberti ambitio. VVimodia pagus, in quo Brema. Vici unde, Burgum, Burgarii. Iuncta frequentium adificiorum series urbs Herodoto*